



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis**

**Arias, Francisco**

**Monachii, 1648**

Cap. XXXVII. Per peccatum mortale hominem insipientem, & brutis  
animalibus similem fieri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

nouerunt tuam potentiam, & bonitatem tuam; quoniam non dereliquisti unquam quærentes te.

*Per peccatum mortale hominem insipientem, & brutis animalibus similem fieri.*

C A P. XXXVII.

**P**Rincipales hominis potentia sunt intellectus, & voluntas, sitæ in superiore animæ portione, in quâ ille differt à cæteris animalibus, quæ ratione carent. Ornamentum, ac perfectio voluntatis quidem est virtus, vitæque sanctitas, intellectus verò, sapientia, & cognitio veritatis. Et quantumuis defectus voluntatis in virtute, quam habere debet, coram Deo maximus sit, tamen defectus quoque intellectus in sapientiâ, ac prudentiâ, quam habere illum conuenit, permagnus est, valdeque voluntatis defectui annexus. Et communiter inter homines maiori probro ducitur defectus intellectus,

lectus, quàm defectus voluntatis, gra-  
uiusque sentiunt, se rationis, & iudicij,  
quàm virtutis ac bonitatis expertes  
haberi, atque notari vt homines rudis  
intelligentiæ, quàm vt malæ volunta-  
tis. Iam in hac quoque tam principali,  
quæque tanti ab homine fit, intelle-  
ctus parte, peccatum mortale maxi-  
mam cladem affert, quia facit, vt ho-  
mo insipiens, & rationis, ac iudicij ex-  
pers fiat. Atque ita scriptura sacra  
per sæpe peccatores *stultos*, & *absque ce-  
rebro*, ac *iudicio* vocat; estque hic titu-  
lus, & nomen, quod eis ordinariè tri-  
buit. Sic Sapiens ait: *a Qui deliberatè  
cognat mala facere, stultus est, & cogitatio  
mala stulti, peccatum est.* Et Ecclesia-  
stes, *Stultorum*, inquit, qui sunt pecca-  
tores, *infinite est numerus*. Iure optimo  
verbum diuinum peccatores *stultos* vo-  
cat, quamuis naturaliter sint homines  
magni ingenij, & habilitatis, multamq;  
humanarum rerum eruditionem at-  
que scientiam ingenti studio compa-  
rârint. Quæ enim maior stultitia esse  
*a* *Prou. 24. 8.* potest,

potest, quàm cælum permutare terrâ,  
 & Deum diabolo? & summam dili-  
 gentiam, curamque impendere in bo-  
 num corporis mortalis, & nullam in  
 bonum animæ, quæ nunquam mori-  
 tur? & propter momentaneam crea-  
 turæ delectationem, animam ad ima-  
 ginem Dei factam, morte culpæ, atque  
 æternæ damnationis occidere? maior  
 hac stultitia nulla esse potest. Et sic po-  
 pulum Israël, qui quòd legem diuini-  
 tus datam haberet, populus sapiens, &  
 valde intelligens vocabatur, quia pec-  
 cavit, Deus ipse populum stultum, ac  
 sine cerebro vocat, per Ieremiam di-  
 cens: *a Stultus populus meus me non co-  
 gnouit.* Et Christus in Euangelio de ho-  
 mine, *Qui audit verbum Dei, nec id fa-  
 cit,* ait, *b similem esse stulto qui aedificat  
 super arenam,* quia (vt S. Chrysostomus  
 in hæc verba dicit) qui super arenam  
 aedificat, totum suum laborem perdit,  
 & vituperatur, nec maior hac stultitia  
 esse potest. Idemque facit peccator,  
 a *Ier. 4. 22.* qui  
 b *Matth. 7. 26.* c *D. Chrysostomus, 25. ibi.*

*De gravitate peccati mortalis.* 421

qui multum laborat in via iniquitatis, & multas difficultates, ac pericula subit, ut hæc mala sua desideria exequatur, nec postea ex omnibus istis laboribus fructum utilitatis percipit, sed maximum damnum vituperij, & æterni tormenti. Si igitur tanta stultitia est ædificare super arenam, quod exiguum quid laboris perdat, & in paruum aliquod dedecus incurrat, quanta erit stultitia ædificare peccata, per quæ labor totius vitæ, & regnum calorum perditur, & pœnæ æternæ incurruntur? Hæc insipientia, & stultitia peccati mortalis statim cum peccato Adami in mundum intravit; a deo que Adam & Eva simul ac peccarunt, res hominum insipientium atque stultorum facere cæperunt. Etenim summa fuit stultitia, cum Dei præsentiam sentirent, vocemque eius in paradiso audirent, subterfugere in locum secretum, cogitando se hac ratione abscondere, & celare Deo, qui est in omni loco, & omnia videt. Sic idem S. Chryso-  
mus

mus notat, dicens: *a Nihil peccato peius. Ipsum enim ut introierit, non solum confusione totos nos replet, sed et insipientes facit eos, qui antea intellectu, et sapientia multa præditi fuerant.* Ita Adamo, & Evæ factum est, qui cum tantâ pollerent sapientia, quanta erat, quam Deus ipsis traderat, mox peccando in tantam insipientiam lapsi sunt, ut studerent se abscondere à Deo, qui ex nihilo res omnes produxit, qui ubique præsens est, qui corda omnium cognoscit. Ad hoc damnum, probrumque peccati, intellectum præcipuè concernens, accedit aliud concernens intellectum, & voluntatem, quòd videlicet homines brutis animalibus similes reddat. Stulti habent saltem interdum aliquas rationis reliquias, & quidam habent lucida intervalla, quia certis temporibus ad mentis sanitatem redeunt: sed bruta sunt ex toto rationis expertia. Et est tantum damnum, ac dedecus, quod peccatum intellectui, voluntati que imprimat, ut homines non solum stultos faciat,

ciat,

ciat, f  
les. N  
sensiti  
motib  
rem p  
suum  
porale  
& gen  
maior  
que m  
clinat  
regitu  
pro fu  
tes, &  
bona  
diuina  
in hono  
benè c  
dition  
cundi  
per vi  
mentis  
lis. Ita  
tatis r

a

ciat, sed brutis etiam animalibus similes. Nam bruta sequuntur appetitum sensitivum, eiusque inclinationibus, ac motibus reguntur, quia aliam superiorem potentiam non habent, totumque suum bonum ducunt voluptates corporales, quas in comedendo, bibendo, & generando percipiunt, cum ad alia maiora bona non sint creata: Eodemque modo homo peccator sequitur inclinationes appetitus sensitivi, & his regitur, ac si ratione careret, habetque pro suis principalibus bonis voluptates, & delicias corporis, ac si ad æterna bona creatus non esset. Ideoque dicit divina scriptura: *a Homo cum magno in honore creatus esset, non intellexit, nec benè consideravit dignitatem, & conditionem naturæ suæ, nec quid sibi secundum eam faciendum esset; unde per vicia, & peccata comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ita David ait, Nos iam huius veritatis rationem declaremus, Creavit

T Deus

a Ps. 48, 21.

Deus hominem in hoc mundo, posuit  
 que illum in eo, tanquam medium in-  
 ter Angelos, & bruta animalia, quia ab  
 vtraque naturâ participat, ab Angeli-  
 câ quoad spiritum, & à bestiali, quoad  
 partem sensitivam: & reliquit eam in  
 suâ libertate, vt mediante libero arbi-  
 trio, ipse depingeret in sese, atque for-  
 maret eam figuram, ac similitudinem  
 quâ vellet; vt vel ipsimet Deo, & Ange-  
 lis eius similis fieret, faciêdo bona ope-  
 ra, vitamque sanctâ ducendo, & libero  
 arbitrio diuinitus adiuto rectè vtendo,  
 id quod Deus intendebat; vel, si hoc  
 nollet, peccare posset, & per peccata  
 animalibus irrationalibus similis fieret,  
 quò sic benè operando mereretur glo-  
 riæ præmium, & malè operando, iuste  
 puniretur. Hinc quando homo bene  
 viuit, per virtutem similis fit Angelis,  
 & ipsimet Deo; & boni in diuinâ scri-  
 pturâ vocantur homines diuini, atque  
 cœlestes, Angeli, filij Dei, & Dij, quia  
 participant aliquid de diuinâ naturâ:  
 Si malè viuunt, similes iumentis fiunt,  
 &

& si  
 rati  
 rem  
 anne  
 uidi  
 D. N.  
 porco  
 nibus  
 pes, v  
 ptist  
 vulpi  
 pecc  
 fiunt  
 litate  
 dunt  
 cum  
 speci  
 eiusd  
 ipso  
 cens  
 tenti  
 ceret  
 nobis  
 a ler  
 d Si



& sic diuina scriptura vocat eos generatim brutā animalia, & speciatim Ieremias luxuriosos equos vocat, & S. Iohannes Baptista malitiosos, & odio, inuidiāque plenos *viperas*; & Christus D. N. impudentes, ac lasciuos, *canes*, & *porcos*, dicens: *b Nolite dare sanctum canibus neque porcis*: & astutos vocat *vulpes*, vt quando de Herode rege, qui Baptistam astu occidit, dixit: *c Dicite vulpi illi*. Neque solū homines per peccatum comparantur, similesque sunt feris bestijs, sed etiam eas crudelitate superant. Nam feræ non occidunt animalia, quæ sunt eiusdem secum naturæ, sed quæ diuersarum sunt specierum; at homines occidunt alios eiusdem secum naturæ, seque adeo ipsos. Ponderat hoc S. Sixtus Papa, dicens: *d Vinam luporum ferocitate contenti esse videremur, rapacitatemq; sufficeret habere miluorum. Sed quod grauius nobis est, omnium tam bestiarum, quam*

T 2 *volu.*

a *Ier. 5. 8.* b *Matth. 7. 6.* c *Luc. 2. 13.*  
d *Sixtus 3. l. de malis doct. in tom. 5. bibl.*

*volucrum excessivam atrocitatem; dum  
 nec propria natura parcimus, cum illa tan-  
 tum insectentur alienam. Huius effectus  
 peccati mortalis testimonium & ima-  
 ginem admodum viam in sacra scri-  
 pturâ habemus. Cum Nabuchodono-  
 sor rex in aulâ suâ regiâ Babylonis es-  
 set, superbiâ elatus dixit: *a Hæc est Ba-  
 bylon magna, quam ego edificavi in do-  
 mum regni, in robore fortitudinis meæ.*  
 Et statim in huius peccati pœnam sen-  
 tentia de cœlo intonuit: *Regnum tuum  
 transibit à te, & ab hominibus eijcient te,  
 & cum bestijs, & feris erit habitatio tua.*  
 Itaque factum est. Nam sensum homi-  
 nis amisit, & is in cor bestię ipsi muta-  
 tus est; vnde sui eum è regno, domo-  
 que suâ eiecerunt; & ipse per campos  
 fœnum inter bestias comedit: quam  
 vitam totum septennium vixit, donec  
 Deus illi hominis iudicium reddidit;  
 & sic ad regnum suum redijt, deque  
 agnito suo peccato pœnitentiam egit,  
 ac Deum glorificavit. Hoc est, quod  
 pecca-*

a Dan. 4. 27.

peccatum operatur. Dum homo est in pulcherrimo gratiæ statu, factus vivum Ecclesiæ membrum, Sanctorum socius, dominus & imperator suorum appetituum, & cum titulo, ac iure ad cæleste regnum; victus ab aliquâ tentatione consentit vni peccato mortali, & statim perdit altitudinem, dignitatemque statûs gratiæ, in quo erat, perdit titulum, ac ius ad regnum cælorum, societatem, participationemque Sanctorum, quam habebat, tanquam vivum Ecclesiæ membrum, & vivam diuinarum rerum cognitionem, ac gustum, manens cum corde ferino, quod non sentit, nec capit spiritualia, cœlestiaque bona, nec amat res invisibiles, & æternas, & voluptates bestiales gulæ, vindictarum, luxuriarum; has pro felicitate, & cibo habent. Ita sanctus Petrus, a *Hi*, inquit, *velut irrationalia pecora*, naturaliter generata ad moriendum, utque hominibus in cibum cedant, *in corruptione suâ æternum*

T 3

peri-

a 2. Pet 2. 12.

peribunt. Fugiamus igitur peccatum mortale, quod tanto damno, & dedecore filios Adam afficit, quod eos ex sapientibus insipientes, ex prudentibus stultos, ex similibus Angelorum, Dei que ipsius, similes brutorum animalium, & ex diuinis, atque coelestibus viles ac terrenos facit. Obediamus sancto Spiritui, per Ecclesiasticum dicenti: *a Ne impiè agas: & noli esse stultus*, peccando. Et per Psalmistam: *b Nolite fieri*, sicut bruta animalia, impetum malarum inclinationum sequendo, nec sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus: nolite hominum dignitatem perdere, quæ in viuendo secundum rationem consistit, nec dignitatem filiorum Dei, & participum diuinitatis eius, quæ consistit in viuendo cum Fide viuâ, sequendo id, quod hæc docet, quod que præcipit, ac suadet, exequendo.

Pecca-

*a Eccl 7.18. b Ps.31.9.*

Peccatum mortale onus admodum graue,  
sarcinamq; ponderosissimam anima esse,  
qua impedit eam, quò minus cor ad  
Deum, & res caelestes  
eleuet.

C A P. XXXVIII.

**A** Mor, vt dicit S. Augustinus, a ani-  
ma pondus est, & quò hoc pondus  
eam inclinât, illuc ipsa fertur: & sic  
quando anima hunc amorem in Deo,  
bonisque caelestibus ponit, amor fan-  
ctus, ac purus est, eamque ad Deum  
eleuat, vt ipsum cogitet, ipsum sapiat,  
ipso se oblectet, & cum ipso conuerse-  
tur; eam denique ad bona caelestia  
subleuat, vt illa contempletur, valde-  
que ex corde desideret, illa ingenti  
cum fiducia speret, & propter illa di-  
ligentissime laboret. Quemadmodum  
alæ auis, licet pondus sint, tamen auem  
non grauant, quin leuem faciunt ad  
ascendendum, & coelum versus euo-  
landum; sic sanctus, & diuinus amor,  
T 4 licet

a D. Aug. l. ii. de ciu. 6. 28.